



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

VIII. Deum homo agnoscit ex se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

ter atque invisibiliter pulchro, fieri se potuisse  
 proclamat. Insonat undique auribus nostris  
 vox clamantis mundi: ingeruntur undique  
 oculis radii divinæ lucis. Unde illæ Orato-  
 ris Christiani voces, Minutii Fælicis in  
 Octavio: *Quid potest esse tam apertum, tam  
 confessum, tamque perspicuum, cum oculos in  
 calum sustuleris, & quæ sunt infra citràque  
 lustraveris: quàm esse aliquod Numen præ-  
 stantissimæ mentis, quo omnis Natura inspi-  
 retur, moveatur, alatur, gubernetur?*

VIII. *Deum ho-  
 mo agnoscit  
 ex se.* Jam si homo ab Universi con-  
 templatione ad semetipsum co-  
 gitationes suas reflexerit; si cor-  
 pus suum, animamque nosse  
 cœperit; si se esse, vivere, intelligerèque  
 intellexerit? Tum verò fieri nequit, ut  
 gradum non faciat ad conditorem suum ac  
 moderatorem DEUM. Quo cognito, si  
 non solùm bonæ intelligentiæ, sed etiam  
 bonæ voluntatis erit, conditoris sui ac  
 moderatoris malet esse quàm suus, & ab  
 illo in omnibus pendere potius eliget  
 quàm à se. Multis certè Infidelibus id  
 contigisse reor, quod de se Hilarius, li-

bro de Trinitate claufurus, luculentis verbis profitetur, ut ex cognitione sui DEUM agnoscerent, agnitum sequi & amare constituerent. Apud D. Birgittam libro Revelationum 6. cap. 5. de muliere Ethnica narratur: quæ ex solius corpusculi sui structura ita ratiocinata est, ut se dominam sui ipsius non esse conficeret: neque enim, inquiebat, manus illæ tam expeditæ, oculi illi tam capaces ac celeres, illi tam affabrè coagmentati artus à me sunt: si à me non sunt, nec mei sunt, ejus sunt qui fecit: si ejus sunt, qui fecit, ei magis quàm mihi debeo impendere, ei lubenter reddere cùm repetet, ei obsequi, ad ejus arbitrium me meaque componere. Eum ferè in modum Ethnica argumentabatur. Quid autem posteaquam ad veræ religionis diem, ex tenebris superstitionum, DEO sensim manducente, emerit? Quàm propensa & firma voluntate sese illi totam permisit? Quàm ardente animo Providentiam illius vitæ deinceps omnium ducem amplexa est?